



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

Interrogationes Confessarij quomodo necessaria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

ad Dominum, ac omnes errores, qui potuissent in præcedentibus confessionibus accidere, resarciant.

Interrogationes Confessarij quomodo necessaria.

Hisce interrogationibus finitis, quæ confessionis veluti præambula quædam, & præludia sunt, Confessarius pœnitentem inducat, ut ipsemet omnia peccata sua, quæ recordatur, exprimat per se: quod ubi fecerit, si perspiciat adhuc quod sæpe numero accidere solet) eum alijs interrogationibus indigere, per quas multorum; quæ oblitus sit, reducat in memoriam, vel ea quæ prius confusè dixerat, distinctius consideret; volumus interim præmonere Confessarium, ut peccatorum mortalium numerum semper quam poterit exactissimè inquireat, & quamvis fieri posset, ut non vsque adeo præcisè, & velut ad vnguem omnia referantur à pœnitente, nihilominus tamen paulò plus, minusve eum numerum indicet, quem ad veritatem magis accedere arbitretur.

In his interrogationibus ordinem sequatur oportet, initio ducto à præceptis Domini, ad quæ tametsi omnia alia, de quibus interrogationes habentur, computari possint, nihilominus si cum personis, quæ rarò ad confitendum accedunt, agatur, utile erit, etiam per septem peccata capitalia, quinque sensus exteriores, & opera misericordiæ discurrere.

Confessarius non minori vigilantia, ac prudentia pollere debet, in ijs maximè peccatis investigandis, quæ homines eius status, conditionis-

nisque, cuius est pœnitens, communiter perpetrare solent.

In peccatis verò luxuriæ, summam animi solertiam cum pari circumspeditione verborum debet usurpare. Itaq; cum in ijs speciem peccati, & circumstantias, quæ multum prægrauant illud, satis intellexerit, vltèrius nihil studeat inquirere: in hunc finem circumstantiæ, quæ peccati speciem ab vna in alteram mutant, vel id plurimum deprimunt, plenè perfectèq; à Confessario sciri debent; quandoquidem hæ duæ circumstantiarum species necessario inter confitendum explicandæ sunt; ideoque ad Summas recurrendum erit, in quibus plerumq; hoc verū illæ continentur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Præ cæteris tamen prouidus, cautusque sit oportet, ac modum congruentem sciat, quo pueri ac puellæ interrogentur, ne fortè, quæ prius ignorabant, eos doceat: verbis autem adeo cōmodis interrogationes suas circumloqui nitatur, vt pœnitentis animus non offendatur: quin etiam dum aurem admouet alicuius confessioni audiendæ, caueat omni modo peccati grauitatem à se auditi, gestu corporis, vel nutu capitatis circumstantibus prodere, vel etiam pœnitentem ita terrefacere, vt propterea aliud graue peccatum subtriceat, imò animum ei addat, vt omnia, quantumuis enormia, & turpia peccata aperire non vereatur.

Mutatio votorum quomodo faciendæ.

Confessarius, qui priuilegium aliquod, facultatem

F f 3

tatem